



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Argentinae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

AD SINISTRAM.

DEO OPT. MAX. SACRATUM.

Beato Rhenano, ex veteri Buldiorum familia, cujus excellens in omni genere doctrina, Græci & Latini linguarum cognitio, innocentia, humanitas, frugalitas, pudicitia celebris erit, donec rerum hæc universitas constabit. Studium antiquitatis declarant aliquot Latini scriptores sacri profaniq; ab eo purgati & prope integri restituti. Item Germania, quam omnem tum veterem tum novam mira diligentia tribus libris illustravit: viro magno, immortalisq; memoria digno; Rudolphus Bersius hoc pietatis monumentum posuit. O Argentorati, XIII. KL. Junii. Ætat. suæ anno LXII. à Christo nato MDIO XLII. Inde elatus hæc jacet, ne opt. ac doctiss. cive careret patria, quam vivus tot egregiis monumentis exornavit.

ET PAULO INFERIUS.

*Te capiunt lato venientem sidera plausus;
Sed qua te genuit patria terra dolet.*



ARGENTINAE.

AD PRÆDICATORES

In conclavi Scholarum.

Cedite pictores, hinc blandi cedite vates,

Oratorq; tuo flumine constiteris.

Sturmius ut fuerat, non est imitabilis arti.

Talis & ingenio, talis & ore fuit.

Sturmiorum genti, cujus antiquitas à Rudolpho Habsburgio Romanorum Rege confirmata fuit, perpetuo nobilitatis Offenburgicæ beneficio: quod ab eo Wernherus Sturm. accepit: qui anno 1560. Senator erat. Jacobo item Sturm. ornamento majorum, exemplo nepotum, anno Christi 1524. Senatori, 25. xv viro, 26. xiii viro, sæpe Prætori, xci. ad comitia Imp. conventus Principum, civita-

tis legato: Quibus legationibus ab urbe abfuit annos prope novem: Qui gratis, majorum exemplo, patriæ consilere maluit, quàm Electorum & Principum consiliis, magno suo emolumento præfici: constitutis suo consilio Scholis: amplificata sua pecunia bibliotheca: auctisq; suo testamento Scholarum fructibus annuis 50 aur. argen. nato anno Christi 1489. mortuo 1553. Ætatis 64. pleno ac 10. Augusti, hebdomade 12. 30. Octobris: optimo civitate clarissimo viro: charissimo fratri: Fridericus & Petrus Sturmii, amoris, honoris, memoriæ, exempli ergo hæc tabulam posuerunt.

JOHAN. Sturmius F. Argentor.

An. 1560.

A L I U D.

Anno post millesimum 538. depositis armis, & pacatâ gravi inter Carolum v. Imperatorem Rom. & Franciscum I. Galliarum Regem, discordiâ, S. P. Q. Argentin. juventuti CHRISTIANÆ religione & liberalibus disciplinis instituendæ ludum literarium aperuit.

Præfecto primario Jacobo Sturmio,
Rectore Joan. Sturmio.

AD PETRUM JUNIOREM.

Diu apparandum est ædificium, ut ædifices celerius.
1494.

I N S U M M O T E M P L O.

Vetustiss. statuæ Fidei, Legem alloquentis, hæc verba tribuuntur:

Mit Christus blut iberwind ich dich.

Cui Lex respondet:

Dasselbe blut erblendet mich.

HEL